

bus è saxo, castello, & *Citadella*, quam vocant, armata. Forma jacet oblongior ab Occasu in Ortum procurrans, ad Occidentem est castrum satis magno ambitu, quod Regem Richardum Tertium instaurasse ex insignibus apparet. In media fere urbe exurgit templum cathedrale, cujus superior pars recentior artificio est admodum elegante, inferior tamen multo vetustior. Ad ortum vero *Citadella*, quam propugnaculis variis firmo opere posuit Rex Henricus Octavus, defenditur. Romani & Britanni hanc LVGV-VALLVM, & LVGV-BALLVM, sive LVGV-BALIAM, Saxones, teste Beda, *Luell*; Ptolemaeus (ut nonnullis visum) LEVCOPIBIAM, Nennius *Caer Luallid*, ridicula Britannorum vaticinia *Urbem Duballi*, nos *Carlile*, & Latini *Carleolum*, recentiori vocabulo dixerunt. Luguballiam enim & Carleolum eandem fuisse uno ore consentiunt historici nostri. Sed in Etymologia rimanda, Deus bone, quam obnixe sudavit Lelandus noster, eo tandem adactus, ut crederet Irunam *Lugum* dictum fuisse, & *Ballum* à valle descendisse, ut *Lugu-vallum* sonet *vallis ad Lugum*. Ego autem, liceat & mihi meam proferre conjecturam, *Vallum* illud & *Vallia*, à nominatissimo illo Romanorum Vallo militari quod sub urbe cernitur deductum asseverarim, LVGV-VALLVM enim AD VALLVM Antonino dicitur. Murus enim ille Picticus, qui Severi vallo postea impositus erat, parum ultra *Irunam* sive *Eden* flumen, qui jam ponte ligneo conjungitur, ad *Stannwicks* viculum cernitur, & ipsum flumen è regione castris transit, ubi in fluminis alveo ipsius vestigia, saxa scilicet ingentia adhuc extant. *Lugum* etiam sive *Lucum*, prisca Celtis qui cum Britannis ejusdem linguæ erant, *Turrim* significasse docet Pomponius Mela. Quod enim Antonino LVGO AVGVSTR dicitur, TVRRIM AVGVSTI vocat ille; ita ut *Lugu-vallum* sit, & sonet *Turris, vel munimentum ad vallum*. Ab hoc fonte si *Lugdunum* quasi *turrim in colle*, & *Lucoteciam* (sic enim quam nos Lutetiam, prisca vocarunt) quasi *turrim pulchram* derivassent Galli (ea enim verborum vis est in lingua Britannica) rectius fortasse collimassent, quam cum hanc à Luto, illam à *Lugdo* fictitio Rege deducerent. Romanis temporibus hanc floruisse varia antiquitatis indicia subinde eruta, & celebris ejus tunc temporis memoria satis affirmate loquuntur. Post Picticos etiam, & Scoticos furores pristini splendoris nonnihil retinuit, & civitas habebatur. Anno enim Christi DCXIX, Egfridus Rex Northumborum Cuthberto illi sancto in hæc verba dedit, *Donavi etiam civitatem, quæ vocatur Luguballia, & in circuitu ejus xv miliaria*. Quo tempore mœnibus etiam firma erat. *Cuthbertum*, inquit Beda, *duserunt cives ut civitatis mœnia videret, fontemque in ea miro quondam Romanorum opere constructum*. Qui tunc, ut inquit liber Dunelmensis, *Congregationem Sanctimonialium, & Abbatissam ordinavit, scholasque ibi constituit*. Postea à Danis ingentibus ruinis deformata, annos plus minus ducentos suis cineribus sepulta jacuit; donec Regis Guilielmi Rusi auspiciis denuo reflorescere cœpit, qui novis ædificiis instauravit, castrum construxit, & Coloniam primum ex Belgis (quos meliore consilio

ductus in Walliam statim transtulit) postea ex Australibus Anglis eo deduxit. Tunc, ut habet Malmesburienis, *visum erat triclinium Romanum ex lapidibus, fornicibus concameratum quod nulla unquam tempestatum contumelia, aut ignium flamma labefactari potuit, in cujus fronte inscriptum erat, MARI VICTORIÆ*. Hunc MARIVM aliqui Arviragum Britannum esse voluerunt, alii Marium illum fuisse contendunt, qui Imperator contra Gallienum salutatus, tanti roboris fuisse perhibetur, ut in digitis non venas sed nervos habuisse scriptores tradiderint. Accepi tamen in nonnullis exemplaribus concipi non MARI VICTORIÆ, sed MARTI VICTORI, quod fortasse nonnullis magis arrideat & ad veritatem propius accedere videatur. Frequentior jam *Luguballia* suum, ut scribunt, Comitem seu verius Dominum habuit Radulphum *Meschines* sive de *Micenis*, à quo Cestriæ Comites prognati, & eodem tempore ab Henrico Primo in Episcopalem dignitatem evecta Athulphum primum Episcopum habuit. Quod suæ Ecclesiæ fraudi fuisse scripserunt Monachi Dunelmenses. *Cum Ranulphus, inquit, Dunelmensis Episcopus exularet, & Ecclesia defensorem non haberet, Episcopi quidam Carleil, & Tividale ad suas dioceses applicaverunt*. Quomodo vero Scotus regnante Stephano hanc urbem cepit, & Henricus Secundus recuperavit, quomodo Rex Henricus Tertius Castrum de *Carleolo*, & Comitatum Roberto de *Veteri Ponte*, sive *Vipont* commisit, quomodo CIOCCXCII, cum Cathedrali Ecclesia, & suburbiis deflagavit, quomodo Robertus Brus Scotus anno CIOCCCV, frustra obsedit, &c. in Annalibus satis fuse explicatur. Operæpretium tamen videtur adjicere duas quas hic vidimus Inscriptiones, alteram in ædibus Thomæ Aglionby prope *Citadellam*, sed deterioris seculi.

DIIS MANIBV  
S MARCI TROIANI  
AVGVSTINANI \*TVM. FA  
CIENDVM CVRAVIT  
AFEL. AMMILLVSIMA  
CONIVX KARISS.

\* Tumulum.

\* Cariffima.

Cui adjungitur effigies Equitis armati cum lancea. Altera vero extat in hortis Thomæ Middleton majusculo & eleganti caractere.

LEG. VI  
VIC. P. F.  
G. P. R. F.

Id est, ut conjicio, *Legio sexta, Victrix, Pia, Felix*, cætera alius explicarit.

Comitem autem habuit unicum Carleolum Andream scilicet de *Harcla* quem Rex Edwardus Secundus, ut ex ipso Creationis autographo loquar, *pro laudabili & bono servitio impenso contra Thomam Comitem Lancastriæ & alios ipsius fautores, Regis inimicos & subditos debellando & devictos Regi reddendo, sub honore & nomine Comitum Carleol gladio cinxit in Comitem*. Qui tamen perditæ & perfide ingratus fidem patriæ & Principi datam fefellit, & postea interceptus summo cum dedecore ingratam

Andreas Harcla Comes Carleoli.

Pppppp

tam

Lugu-Vallum.

Lucus & Lugus quid Britannis & Gallis prisca.

Lugdunum, Lucotecia, sive Lutetia Galliarum. Vetus Itinerarium nuper impressum, Lugdunum, *Desiderarum montem* significare docet.